



Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Capvt V. Exemplo Petri cuiusdam docetur, quanta sit diuinæ clementie
bonitas, & misericordia, ad ignoscendum etiam desperatissimis; qua ipsa
bonitate peccatores ad pœnitentiam alliciuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

CAPVT V.

EXEMPLO PETRI CUIUSDAM DO-
CETVR, QVANTA SIT DIVINÆ CLEMEN-
TIÆ BONITAS, ET MISERICORDIA, AD IGNOSCEN-
DVM ETIAM DESPERATISSIMIS; QVA IPSA BONITATE
PECCATORES AD POENITENTIAM AL-
LICIVNTVR.

I.
Abrahami
Bzou. Anno
Christi 1220.
n. 13. Ferd.
Hist histor.
Dominic. 1 p.
cap. 43.
PETRI FOR-
TVNA, ET DE-
SPERATA CON-
SCIENTIA.

IRCA annum Redemptoris 1220. vt tam in historia Ec-
clesiastica, quàm PP. Dominicanorum memoratur, cum
aliquando, Cæsaraugustæ, apud Aragoes, D. Domini-
cus conciones habere cœpisset, easque admodum frequentes &
celebres, excitatis omnium studijs, magni æque fructus atque
applausus extiterunt, magnæque peccatorum conuersiones. Inter
quas etiam fuit Petri cuiusdam principis viri. Nobilissima is erat
prosapia oriundus. Genus etiam fortuna comitabatur, quæ ei,
ex copia diuitiarum, etiam potentiam adiecit. Fortuna autem nõ
perinde virtutes secum affert, atque opes. Sæpe dum copiam auri
suppeditat, subministrat pariter materiam flagitiorum: & quod
potentior impietas, eò fauic magis. Quamobrem & Petri for-
tunas magnas magna vitia dedecorauerunt. Itaque nihil illo in
tota vrbē notius; nemo infamiam magis laborabat; digitis puero-
rum notabatur, id quod euenire necesse est, vbi in generosis co-
piosisq; hominibus probitas vitæ requiritur, vnde & genus, &
diuitiæ claram lucem mutuantur. Ad hunc ergo fama de D.
Dominici virtute ac dicendi potestate vbi peruenit, non potuit
non præclara eius facinora, ex ore narrantium accepta admi-
rari. Pupugit itaque eum curiositas: sed conscientia retraxit.
Ita enim secum tacitus disputauit. Diuinus vir diuina tractat:
quid ad me diuina, qui totus rebus caducis sum immersus? Ita di-
uitijs, delicijs, agglutinatus sum, vt nihil me possit, nisi mors
separare. Et hoc ipsum tristi animo futurum audio. Cælum
dudum mihi clausi; & quia æterna gaudia sperare non possum,
saltem præsentibus gaudijs fruam. Frustra igitur Dominicum ad-
ibo concionantem. Sed aduunt illum & alij peccatores? Illi ni-
mirum adhuc sperant; ego spem abieci salutis; illi tanti non sunt
pecca-

peccatores, ego tam multis, in tam grauibus peccatis indurui, maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Alij per Dei clementiam viam ad cælum inueniunt, ego diuina misericordia ianuam aditumq; mihi praclusi. Indurui vt argilla; vt saxum molliri non possum. Frustra ergo adeo medicum, de vica desperatus. Quamquam quid refert? multi adeunt non pietatis, sed curiositatis causa conciones. Sim & ego de numero eorum. Esto, nihil discam, saltem ero spectator otiosus, & testis oculatus eorum, quae de hoc concionatore à tam multis predicantur. Ita statuit.

Verbum Dei non est temporis fallendi causa audiendum, sed vt inde in fide instruamur, atque ad rerum diuinarum cognitionem amoremq; inflammemur: peruersesq; agunt, qui ob curiositatem, vt eloquentiam, vt idiomatis proprietatem, vt noua & animum auresq; perculcentia audiant, templa ac conciones frequentant. Et tamen tanta eius est vis, vt non rarò etiam his profit. *Uerus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usq; ad diuisionem anima ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quod etiam expertus est obturatissimus iste Petrus. Nam die quodã, sola nouitate pellectus, cum magno partim clientum, partim famulorum comitatu, in illud ipsum templum ingressus est, in quo D. Dominicus ad populũ verba faciebat. Nondum tamen tunc concionem inchoauerat, sed à longè cõspexerat dynastam, non sine strepitu in templum intrantem, quem nonnullæ historiæ memorant, ipsius S. Dominici cognatum fuisse. Quàm verè Christus dixit: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate?* S. P. Nostrium Ignatium, quidam viderat paupere tunica incedentem, & iuuenili petulantia dixit: *Dispeream, nisi isthic homo dignus est ignibus;* sed mox ipse, diuina Nemese iudicij temeritatem puniente, subito exorto igne in aërem subuectus est. At hunc Petrum, purpuratum, torquatum, cum tanto famulorum, clientumq; comitatu in templum subeuntem, attoniti suspexere omnes, surgentesq; ei reuerentiam exhibuerunt, in eo fulgorem auri ostrique & crispatae capitis caesariem admirantes, eumq; de potentia ac opulentia venerantes. Longè tamen alium eum, nempe qualis in animo & coram Deo erat, intuitus

II.
QUALIS S.
DOMINICO
APPARVERIT
PETRVS EX
CURIOSITATE
ADIENS CONCIONEM?
Hebr. 4. 14

Ioan. 7. 24

est D. Dominicus. Non enim circa eum officia clientum, non turbam famulorum aspexit, sed tot undique vidit circa eum terribilissimos cacodamones exultantes, eumque catenatum raptantes & trahentes quò volebant; quot ille genera flagitiorum commisisset. Fudit igitur ardentissimas, pro illo, ad cælum preces, animamque illius omnium Conditori Deo quàm contentissimè commendauit. Post hæc vota cathedram conscendit, atque ad populum dicere exorsus est. In ea oratione iacturam animæ peccantis, perniciemque, atque futuram pœnam, quæ eam, in altero sæculo manet, præsertim autem conscientia malæ carnificinam, autoritate ac sententijs diuinæ Scripturæ, rationibus, experientia ipsorum præuaricatorum ita luculentè demonstrauit; ut Petrus ille vehementer percelli videretur. Sed, ut pluuia de nube cadens, terram bonam subit, rigat, facitque fructiferam, rupem autem tantùm extrinsecus abluat, intus siccam relinquit: ita bonæ mentes quasuis imbibunt pietatis monitiones: homines autem indurati, audiunt quidem minas Dei, pœnas inferni, exitium sibi imminens, sed sicut Æthiopes etiam loti non fiunt candidi; immò sicut saxum summa dumtaxat parte madescunt; auribus, non cordibus accipiunt, quæ illis vtilia instillantur. Dum concioni interfunt, cogitant: *hoc quidem verum est: ita fieri oportet: Vinam hoc vxor, aut maritus, aut socius audires!* de se nihil dici arbitrantur: aut si arbitrantur, vix è templo egressi, oblitescunt; ac nouis peccatis, aut antiqua consuetudine obruunt. Quod huic Petro euenit, simili ei qui ægrotat, cui medicus salutarem præbens medicinam ait: *Sanaberis, si hoc poculum sumpseris: morieris, nisi biberis.* Ille autem digresso medico quia pharmacum est insuaue atque amarum, poculum per fenestram in plateam effundit. Cur tam multi quotidie damnantur ac pereunt? quia audita in concione respuunt. Pauci, aut vix vlli perirent, si concionatori obedirent; & statim dum calet verbum, cuderent proponerentque sibi efficacem vitæ emendationem.

III. *Quid igitur de Petro factum est? Multi alij tepidi in zelo animarum de eo desperauissent, eumque pro derelicto habuissent. Haud tamen ita egit acerrimus Dei seruus Dominicus, qui haud ignarus, tam excæcatum peccatorem sine miraculo conuerti non posse,*

PETRI CALAMITAS ET STATUS POPULO OBSERVANS.

posse, cum alia vice celeberrimis quibusdam ferijs, inter concionandum, videret denuo Petrum in templum, cum pompa sua pedem inferre, interrupto sermonis filo, repente alta voce exclamauit: *Christe, praduicis, & prapotens, perfice ut auditores mei, eius, qui modo in eadem tuam pedem intulit, miseram condicionem, animi statum, periculumq; peruideant.* Nempe quod ipse nuper viderat, tunc cupiebat etiam a populo videri; ut vnus in ruborem dati exemplo plures corrigerentur. Audiit Christus orantem Dominicum, ac diuina vi effecit, ut qui aderant concioni, itidem intuerentur mille cacodæmonum spectra, Petri animam captiuam, ferroque deuinctam, quò impetus ferret, pertrahentia. Ibi alijs rei nouitatem admirantibus, alijs spectaculi insolentia exterritis, ingens repente exortus est clamor, concitatusq; tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perstreptantium, ut ab inuiso immaniq; monstro sibi quisq; caueret hortantium, belluamq; trucem auersantium: imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret; inq; fuga esse salutem. Ad has vocum incredibiles contentiones, terroresq; multorum, inscius Petrus obstupuit, & ex vno famulorum tremefacto, cui ipse fugeret, quasiuit, curq; alij palantes ac dispersi recederent, & pauerent attoniti, inuestigauit? *Ista, inquit famulus, me tua facies & figura conturbat, qua non meum mihi herum ac dominum, sed satanam representat. Te Erebus pro suo habet, vincit, rapit, & raptat manus inferna. Hinc fuga popularis, murmur, terror, & consternatio plurimorum. Ipsa quoque nobilis uxor exclamat, simul atq; Dei voluntate mariti sui miseriam, & Tartareos illos vexatores aspexit. Ancilla etiam conspecto demonum agmine gemitus, & vultus continere non poterant.*

Trium horarum spatio insolens illa forma formidolosaq; species templum omne turbauerat. cum Petrus iam sui & compos, & similis ita fari cepit: *In extremam mihi videor redactus miseriam, quem plebs cuncta, famuli, a ni. iq; defugiunt: & quod est admirabilius conuix ipsa perhorrescit, suiq; mariti cane peius & angue euitat aspectum. O me perditum, ac plane desperatum, cui vni post hominum memoriam accidit, ut notos, ignotos, propinquos, alienos, domesticos, externos suo aspectu, tamquam Cerberus alter vertat in fugam. Prodest subinde ab hominibus despici, & mundi ludibrio exponi. Quia, teste Isaia,*

uoxa110

IV.
ADMIRANDA
PETRI COM-
VERSIO, ET
DEI MISERI-
CORDIA.

Ita 18. 39.

vexatio intellectum dabit, & incipiunt, se ipsos agnoscere, quibus alij digicum intendunt ad illorum calamitatem. Nondum Petrus medicinam quaesuerat, incipiebat tamen sentire suum morbum. Vfus est occasione Dominicus. Nam postquam tempestiua oratione pauentem populum, & crucis signa iterantem anhelitumq; trahentem à timore recreauit, comitem suum F. Bernardum, ad lamentantem, plorantem, & se sine modo plangentem Petrum, cum mandato Rosarioq; misit. Is, vice ac nomine Dominici ita eum est affatus: *Quicumque gradiaris, quoq; te vertas, Orcus insequitur, populo id quidem spectante, & te, cuius id scire maximè intererat, nesciente. Sed tamen de peccatis tuis omnibus confitere, ac pœnas à teipso quam durissimas repete: cape simul hoc Deipara Rosarium, & in eius salubri precatione totus occupare: nisi vis, ut te terra dehiscens absorbeat.* Etiam quercus ex ictibus repetitis deijcitur. Quare & Petrus petra quauis huc vsque durior, tandem est emollitus. Nam imprimis Rosarium, quod antè non æstimauerat, reuerente manu accepit; metuq; etiamnum tremebundus in hæc verba respondit: *Meo nomine, frater optime, renuntia Dominico, hoc eius munus mihi fuisse gratissimum: & quando meas miseras multò me vidit apertius, de operam medicina faciendâ: idq; a me suppliciter postulari.* Rosario accepto, ante Mariæ Deiparæ imaginem procubuit, illudq; intermixtis lachrymis attentè recitauit. Videte Dei Matrem; videte *Aduocatam nostram; videte Refugium peccatorum.* Is qui tot annis iacuerat in sordibus omnium peccatorum, qui induruerat in mollitie, qui excæcatus fuerat avaritia atque libidine; qui de sua salute, de diuina misericordia, de Dei infinita bonitate desperauerat; vnico Rosario in honorem Dei genetricis recitato, liquefactus est in lachrymas, mollitus ad pœnitentiam, illuminatus atque erectus ad spem. Itaque ab oratione surgens illico ad D. Dominicum accurrit, atque totius antea vitæ scelera expianit. Audita huius peccatoris confessione, S. Dominicus Virginem Matrem, ad sententiam in tam difficili causa ferendam, inuocauit, eamq; consuluit de modo pœnitentiæ imponendæ: cuius suasu, præter alia, quæ tam publicè, propter exempli offensionem, quàm priuatim occultis nefarijs flagitijs expungendis, tum faciendâ, tam patiendâ præscripsit, eum Rosarium quotidie,

toto

Cap. V. Petri conuersi exemplo ostenditur diuina clementia. 67

toto reliquo vitæ decursu iussit persolvere. Postea à peccatis
 absolutum consolantibus verbis bene sperare docuit, atque in
 proposito confirmauit. *In Dei iustitiam & seueritatem incurreras,*
inquebat, sed Rosarij beneficio in misericordia sinu conquiescis. Ad
 quod stabilendum propositum, in Sodalitium adscribitur, vt
 aliena merita tibi egentissimo suffragentur. *Paruit illico Petrus*
negari toties Christi dolore contabescens; galliq; cantu, id est, Domi-
nici voce correctus, seq; ipse propria manu in Sodalitatis tabulas retulit,
& catalogo ascripsit sociorum. Ne quis autem tardum esse Deum ad
 ignoscendum existimet, jam olim per Prophetam dixit: *Impietas* Ezech. 33.12.
impj non nocebit ei, in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua.
 Cuius rei exemplum fuit etiam iste Petrus, nam illico iudicium
 æquante Deo factum est, vt quicumque prius miserrimam Petri
 seruitutem aspexerunt, terribilissimamque circa eum spectra oberran-
 tia formidarant; iam tribus ornatissimis coronis, eiusdem poenit-
 tentis caput cinctum redimitumque palam intuerentur. Quid
 multa? hic Petrus antea tam sceleratus, cum postea, ex manda-
 to Confessarij, Rosarium Beatissimæ Dei Matri quotidie orando
 offerret, dignus habitus est eadem Dei Matre monente, mortis
 suæ horam præscire. Vultis adhuc aliquid maius? Ille despera-
 tus antea Petrus, ille à tot cacodæmonibus victus peccator, tan-
 dem eò venit, vt cum animam ageret, Dei Matrem, immò ipsum
 Christum Deum de Deo haberet præsentem, atque contra Strygij
 tentatoris artes insidiasque protegentem. Ita pessimæ vitæ ho-
 mo, per poenitentiam, à S. Dominico ductus est ad Mariæ patro-
 cinium & tutelam, immò ad inauditam Dei clementiam & boni-
 tatem experiendam.

Multa huc vsq; disserui de causis, ob quas ad poenitentiam
 confugere debeamus. Mouere nos debent publicæ necessitates,
 more Itatorum. Mouere debent propria delicta, quæ, nisi nos la-
 chrymis diluamus, vindictam diuinam exposcunt. Mouere se-
 uera Numinis atque immensa iustitia, quæ pro leui & breui volu-
 ptate æterna tormenta minatur, & infert. Mouere ipsa peccati
 turpitude, quæ summam Deo, naturæ, nobis iniuriam impingit.
 Restat tamen, meo quidem iudicio, his omnibus causa adhuc
 maior, & apud omnes bonas mentes potentior, immò & apud
 ipsos

V.
 INTER MVLTÀ
 POENITEN-
 TIÆ MOTIVA
 CVR POTISSI-
 MVM DIVINA
 BONITAS?

ipſos impios efficaciffima, nempe infinita Dei bonitas, clementia, & miſericordia; quæ ex hoc Petri exemplo elucet. Cur tam multi illecebris Mundi, velut viſco inhærent? cur tot conſuetudini ſuæ velut catena alligantur? cur confiteri vel nolunt, vel fi-
ctè audent? cur ad opera pœnitentiæ manum non applicant? Quia nimirum cum hoc Petro diuite deſperant, tam de ſua ſalute, quàm de Dei bonitate. Quoniam autem ſciunt, ſe cæli gaudia proſti-
gaſſe, ſaltem volunt, dum hîc viuunt, qualeſcumque demum ve-
nari voluptates. Hæc vltima & maxima eſt catena peccantium, quæ impedit, vt ne effugia quærant, aut remedia euadendi. *Is*
verè dignus eſt deſperatione, qui de ſeipſo deſperat, ait S. Chryſoſto-
mus, ille non jam ſalutem, neque ſpem habet. Non in malorum ve-
niſſe profundum, eſt graue, dilectiſſimi: ſed poſtquam veneris, ibi ja-
cere. Non in profunda cecidiſſe malorum, eſt impij, ſed poſtquam ceci-
derit contemnere: propterea debes ſemper eſſe ſolicitus. Dic mihi, Pro-
pterea contemne, quòd vulnera tot habeas incurabilia? Sed nullum
eſt anima vulnus incurabile. In corpore quidem multa ſunt talia, in
anima verò nullum: & pro illis quidem laborare non deſinimus, pro
his verò torpemus. Nonnè vides latronem, quàm breui tempore cu-
ratus eſt? Quàm citò eſt Saulo factus S. Paulus, ex Matthæo & Zac-
chæo Publicanis diſcipuli Chriſti? ex Magdalena peccatrice pœ-
nitens, ex hodierno Petro deſperatiſſimo etiam miraculis coru-
ſcans? Poſſent quàm plurima exempla huius diuinæ bonitatis
adduci, mihi hodie illud ſufficeret, quod ad omnes pertinet, my-
ſterium Incarnationis.

S. Chryſoſt
hom. 40.

VI.

BONITAS DI-
VINA IN CRE-
ANDO, OR-
NANDO REDE-
MENDO HO-
MINE
Plal. 137.

Ex fide nouimus, Deum antè quàm mundus cõderetur, ab æterno, ex ſui ipſius viſione & amore fuiſſe beatum, ſibi quæ ipſi ſufficientem. Quod probè ſciens Dauid aiebat: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Cùm ergo ex ſeipſo omnia habeat, nihil proſus, extra ſe, amare illi opus fuit, vltro vtilitatis vel beatitudinis ſuæ reſpectu. Tanta illius eſt bonitas, vt nihilominus priùs, quàm eſſemus, adeo quæ mereri aliquid poteramus, nos jam amaret, & ex nihilo educeret, tot quæ naturalibus, & ſupernaturalibus donis ornaret. Nec ſatis fuit, nos nihil fuiſſe, vidit ab æterno, hominè ex nihilo productum tot quæ donis ornatum peccaturum, neque in Adamo tantùm, ſed propria

propria etiam voluntate, ac omni genere flagitiorum; atque ita pro innumeris beneficijs ingratum futurum, & innumeras iniurias repositurum. Vidit hoc Deus, & nihilominus, quia *dines est in misericordia*, mundum creauit. Nos sæpe benefacimus homini, qui postea est ingratus, & pro beneficijs acceptis reponit nobis maledicta, quod si antè vidissemus, fortè non benefecissemus. Non sic Deus, sciuit quid facturi essent homines, & tamen creauit homines, adeoque amauit eos, à quibus erat odio habendus, sicut homines Deum, à quo amantur, detestantur. Quia autem etiam vidit homines Inferni pœnas promerituros; ita eos dilexit, vt vel sic vellet eis remedium suppeditare. Remedium in quo vnico infinita eius bonitas abundè demonstratur. Quæ enim nisi infinita clementia & charitas pro tam ingrato & inimico homine redimendo daret id quod habet pretiosissimum, charissimum, nimirum Filium suum vnigenitum, vnum ac eundem Deum secum, in quo *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*? De- Col. 1. 9. dit autem non quomodocumque, sed fecit eum passibilem, vt pro nobis famere, sitire, frigere, alapis, flagellisque cædi, damnari, occidi posset, & maximos pati cruciatus.

Infinitæ huius bonitatis arcanum adhuc plus detegit modus dandi, qui, tametsi postquam homo fieri decreuit, perfecti viri corpus, quale fuit Adami, accipere potuisset, haud tamen ita fecit, sed *ex muliere nasci voluit*. 1. Vt ab infantia pro nobis pateretur, vnde ipse ait: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, adeo amauit labores, cum eos nos, quantum possumus fugiamus. 2. Vt diuina bonitas tantò se ampliùs diffunderet in vtrumque humanæ naturæ sexum, si *virum* ad infinitam filij Dei naturalis, *feminam* verò ad matris ipsius Dei dignitatem euexisset; quæ, vt S. Thomas docet, est quodammodo etiam infinita. Ex qua re ostenditur, Deum omnibus benefacere: Nam in Christo IESVS non est Indus, neq; Græcus; non est seruus, neq; liber; non est masculus, neq; femina. 3. Vt perditio nostra, quæ à viro & femina cepit, ab alio viro & femina restauraretur; à viro quidem præcipuè tamquam à capite, & vnico Mediatore nostro, patreque futuri sæculi; sed ab eius Matre, tamquam coadutrice in opere Redemptionis. Nam Christus est Beatissimæ Virginis sanguis & caro. Hinc

Ephes. 2. 4.

Col. 1. 9.

VII.

CVR E VIRGINE NASCI VOLVERIT DEVS? Gal. 4. 4.

Psal. 87. 16.

S. Thom. 2. p. 2. q. 15. 2. 6. ad

Gal. 3. 28.



Gen. 3. 13. ab initio dictum est: *Inimicitia ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* 4. Ut duplici modo misericordiam Dei cognosceremus, atque in ea speraremus, diuino scilicet, & humano in muliere Matre. Sunt enim mulieres ad miserendum proniores, & à natura magis inclinatae. Vidit autem SS. Trinitas ab aeterno innumeras feminas, multas utique praestantes, sed ex omnibus elegit illam, quae erat Filio virtutum imitatione simillima, atq; salutis humanae promouendae sitientissima, ad quam in necessitatibus nostris ea confidentia recurreremus, qua solemus ad matrem confugere. Est enim illa *Mater misericordia, Aduocata nostra, & Refugium peccatorum.* Non quòd Christus solus non sufficiat, sed ut, si pusillanimes ad ipsum accedere timerent, utpote non hominem solum, & nostrum Aduocatum; sed Deum simul ac iustum Iudicem: ad Matrem ipsius confidentius accederent, ad quam Iudicis munus non pertinet, sed tantum *Aduocata*; illa autem, *Misericordiae, pietatisq; Mater*, pro omnibus intercederet. Ex quo ipso patet, quantopere Deus nostram salutem eiusq; consequendae fiduciam desideret. Nam in aeterno suo consilio hanc Virginem in Matrem suam elegit, ut simul esset excellentissimum misericordiae vas, in quo magnalia, quae talis Filij matrem decerent, reponerentur, Quae de causa electa ut sol vocatur; superat enim praestantia omnes alios electos. *Elegit nos*, ait Apostolus, *in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Quia teste S. Hieronymo, *gratia omnes, quae diuinit alijs Sanctis sunt data, Maria fuerunt simul plenissima concessa*, eò quòd ex ea nasciturus esset auctor ipse gratiarum Christus, qui ut ipse est *Sanctus Sanctorum*, voluit ut Mater sua esset *Sancta Sanctorum*, hoc est, ut in omni genere & gradu virtutum & gratiarum excelleret, adeoque etiam in charitate proximi, quae ex Dei charitate resultat, fuitque tanta in ipso conceptionis momento, ut Angelos, & ipsos Seraphinos superaret. Ita enim erat digna *Dei Mater*, digna *Angelorum regina*: tanto melior ipsis Angelis, sanctiorque effecta, quanto excellentius pra illis (qui serui solum & administri in domo eius futuri erant) *nomen erat acceptura, scilicet*
Matrio

S. Thom. 3. p.
q. 7. 8. 10.

Cant. 6. 9.
Eph. 1. 4.

S. Hieronym.
serm. de Al.
sumpt.

Dan. 9. 24.

Hebr. 1. 4.

Matris Dei. Ibi ergò cursum suum cœpit, quò Angeli suum pro-
duxerant & absoluerant. Si ergo viuere incipiens jam tot ha-
buit gradus charitatis, misericordiæ, & clementiæ, quot in celo
Beati Angeli, eosque semper auxit, immò duplicauit, & condu-
plicauit; quantam jam in celo misericordiam possidebit?

Nemo jam miretur, si Petrum tam grandem peccatorem,
tam inueteratum, & desperatum patrocínio suo iuuat. Charita-
ti illius nulla potest iniquitas comparari: cupit enim illa, exem-
plo Filij, omnes, quales, & quantoscumque peccatores, saluos fieri;
& à nullo retrahit suam charitatem. Ex qua ulterius licet ascen-
dere ad illam diuinam immensamque Christi misericordiam,
charitatem, & bonitatem. Quid multis opus? infinita est. Hinc
quid mirum, si Petro tam desperato, si latronibus, si adulteris, si
Sodomitis, si Veneficis & Magis, qui illum toties abnegauerunt,
potest ignoscere? Ut vna scintilla in totum Oceanum incidens,
illico absorbetur & extinguitur, ita in immensum illud mare mi-
sericordiæ, quidquid incidat peccati, absorbetur. Cogita animo
maximum peccatorem, cogita fandos, infandos, idololatræ,
atheos, damoni mancipatos, cogita totum cumulum peccato-
rum, quæ à sæculo commissa sunt, per omnes homines impios,
per omnes dæmones & damnatos in inferno; si ea omnia scelera
vnus homo fecisset, tamen nihil essent ad infinitam Dei miseri-
cordiam comparata; longè illa adhuc maior est; parata est igno-
scere, si velint ad eam confugere peccatores; patienter expectat
pœnitentiam eorum, cupiens *proicere in profundum maris omnia* Mich. 7. 19
peccata nostra, est enim, vt dixi, quidquid vbique peccati admis-
sum est ab omnibus, instar scintillæ in pelagus cadentis, si cum
misericordia Dei conferatur vndequaque infinita, quæ meritò
profundum maris appellatur. Est enim immensa profunditas mi-
sericordiæ diuinæ. Venit etiam peccator in profundum, & num-
quam venit ad terminum malitiæ, dum viuit, potest enim semper
profundiùs descendere: vnde ait: *Infixus sum in limo profundi: &* Pal. 68. 9
non est substantia. Veni in altitudinem maris: & temp. stas demersit me.
Sed quocumque descenderit, & vndecumque orauerit: *De pro-
fundis clamaui ad te, Domine;* semper adhuc profundior est miseri-
cordia diuina, quæ fundum non habet; nequit exhauriri.

VIII.

QVAM SIT
IMMENSÆ DEI
MISERICOR-
DIA?
1. Tim. 2. 4.

I 3

Quam

IX.
IMMENSAM MI-
SERECORDIAM
ALLICIT HOMI-
NES AD POE-
NITENTIAM.
Osee. 13. 9.

Quàm inexcusabiles igitur erunt, qui hanc tantam Deipa-
ra, immò qui infinitam Dei misericordiam audiunt, credunt, &
tamen negligunt, aut adhuc desperant? Nonnè illis dici poterit:
Perditio tua Israël? Nonnè isti digni sunt mille gehennis? qui
non iam de tot peccatis, quotquot vniquam commissa sunt, con-
scij, sed ob furtum, ob rem alienam à se possessam, ob inimicum
vnicum vindicandum, ob consuetudinem fornicandi, aut potan-
di, aut otandi, cogitationem omnem salutis deponunt; & de
misericordia Dei desperant. At vidit hoc ab æterno prouidum,
Numen? & tamen eos creauit, pro illis homo fieri, illis Matrem
dare misericordiz, denique pro ipsis in crucem tolli voluit. Et
nondum nos mollie tanta pietas? tam immensa bonitas? Am-
plius progressa est. Postquam vidit, nos hæc omnia contemptu-
ros, adhuc benefecit, adhuc alia remedia exitijs nostris excogita-
uit: vt etiam sic adhuc lapsi surgere possemus. Nam SS. Sacra-
menta instituit, per quæ nobis vim sanguinis applicaret. Vultis
videre infinitam patientiam, & immensam bonitatem? Vidit
plurimos etiam hæc contempturos, calcaturos, adhibituros ad
occasionem illum offendendi, & non subtrahit: nec adhuc sub-
trahit; quamuis homines vsque ad eò insaniant, vt ipsa sese me-
dicina occidant; & illo gladio Deum persequantur, quem à Deo
contra suos, & Dei hostes acceperunt. Nonnè enim causam ha-
beret, vt diuina à se instituta sacramenta è medio amoueret, qui-
bus homines sacrilegè abutuntur? At tam immense bonus est, vt
sacramentum poenitentiz adhuc ei offerat in salutem, qui centies
sacrilegè confessus est; vt dum saltem in vltima confessione seriò
retractat sacrilegus suas confessiones, veniam misericordiamque
consequatur.

X.
SACRAMEN-
TORVM ABU-
SUS.

Incredibilia videor dixisse, sed ostendam esse verissima. 1.
Cum omne sacramentum sit signum visibile practicum rei inuisi-
bilis, seu gratiz, quam confert, id quod ad gratiam conferen-
dam est institutum, adhibent ad gratiam destruendam, quoties
per baptismum, per chrisma, per mille sacramenta temerè, im-
piè, iactanter blasphemant; illi nimirum, qui Redemptori suo ipsi
sanguinem & vulnera exprobrant. 2. Baptismum non solum in
sui condemnationem accipiunt, qui minimè Christianè viuunt; sed

sed sunt, qui infantes aut omnino priuent baptismo, aut in ipsius quoque cacodæmonis nomine baptizent. 3. Confirmationem nec quid sit quidem sciunt multi; aut nimium differunt. 4. Eò progressa est ignorantia, vt extrema vñctio, quæ non solùm animam roborat ad extremum agonem, sed saepe etiam, vt D. Iacobus ait, infirmum alleviat, vulgò existimetur homines occidere. Idcirco enim horretur, quia putant, eum, qui vngitur, vel idcirco moriturum: quasi mors ab oleo, & non à morbo veniat. 5. Sacerdotium, quàm res sancta & diuina, quàm angelis propinqua? quanti autem eo sacerdotio abutuntur, vt nemo magis vacet otio, ebrietati, impuritati, scandalis? Quantis Simonij sacerdotia, & toti Episcopatus venduntur, emuntur? Sed ferè tanta hîc sunt vt, præstet tacere. 6. Tacebo matrimonia falsò promissa: adulterijs violata, viuis coniugibus cum duobus, tribus, pluribus inita. 7. De Confessione non est tacendum; ea pœnitentes vti possunt, tamquam secunda post naufragium tabula. At quàm multi grauius peccata tunc tacent? quàm multi numerum, & speciem non exprimunt? Ah pudet dicere! Aliqui confitentur sacrilegè, vt Confessario placeant, vt per eum commendentur ac promoueantur? Potest Confessarius dare testimonium Confessionis factæ: at qui testimonium ab eo aut commendationem petit, quàm stultus est, si id petat, de moribus & pietate? Non potest enim Confessarius eum cuius confessionem audiuit, ex hac scientia reprehendere, debet ergo necessariò vel nullum dare testimonium, vel eum commendare. Suspectum itaque haberi potest tale testimonium. Et nec ipse Confessarius bene agit, si talij ex causa confitentem ad matrimonia, vel alia officia splendida promouet. Multoq; minus credendum est illis pœnitentibus, qui se jactitant, leuem pœnitentiam à Confessario inunctam accepisse, quasi leuem dumtaxat meruissent; cum constet eos impurissimos esse, ac flagellis, cilicijs, grauissimis pœnitentijs dignos esse.

Quid quod 8. Ipsa SS. Eucharistia, res omnium sanctissima, mille modis violetur, inhonoretur, contemnatur? Nam eius cultum alij omnino negant; alij non æstimant; alij peruertunt, atque in ignominiam mutant. Instituta est in memoriam passionis

XI.
SS. EUCHARI-
STIÆ ARVS.

nis Domini, vt inde diuinam bonitatem memoria recolentes, in amore eius crescamus, & ad gratiarum actionem accendamus, in
 1. Cor. II. 26. dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumq;*
enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini
 Ibid. VI. 27. *annuntiabitis.* Atqui multi non in memoriam, sed in iniuriam
 Domini id faciunt, Christumq; sibi, quasi de nouo crucifigunt.
 Quicumque, ait Apostolus, *manducauerit panem hunc, vel biberit*
calicem Domini indignè; reus erit corporis, & sanguinis Domini. Quot
 enim, præsertim hoc Paschali tempore, communicant sacrilegè
 confessi: habentes affectum occultum odij, scortationis, rei alienæ
 retinendæ? Quare sicut in Iudam post buccellam acceptam,
 intrauit Satanas; ita in tales, dum intrat in os Christus, intrat
 Christum illico expulsurus diabolus. Quid prodest in ore Chri-
 stus, si sit in corde diabolus? Nam hunc ibi esse, inde apparet,
 quia *ex abundantia cordis os loquitur; & ex oris halitu intelligi-*
 tur, quid homo ederit biberitque. Quid enim de illo sentitis, qui,
 vt aliàs dixi, SS. Eucharistia vix in templo sumpta, domum redi-
 ens, quasi poeniteret eum ad sacram mensam accessisse; illico per-
 quam sanè iactanter ait: *Quàm pulehra mecū hodie femina syn-*
 axin sumpsi; non potui eius formam contemnere &c. Dauid
 Deo plenus dicebat: *Eructauit cor meum Verbum bonum:* quid de
 istis dicemus, qui talia verba eructant? qua spurcitie erunt pleni?
 Quis credat, talem linguam fuisse sanguine Christi irrigatam?
 In ore gerunt Redemptorem, corde præferunt meretricem, quam
 oculis intuentur. Hinc eò proceditur, vt tandem sacrosancta
 hostia ex ore exempta, vel Iudæis vendatur, conuulneranda, vel
 suræ insuatur, aut veneficorum artificio vertatur in vnguentum
 sagarum, maximis spurcitijs inquinata.

XII. Videtis extremam hominum malitiam? populatione, ca-
 dibus, bellis, immo Inferno dignam? & si fieri posset, meritam,
 vt mille Inferni inter se necterentur. Hanc omnem malitiam
 Deus ab aeterno præuidit, & tamen ad eò infinita est eius bonitas
 & misericordia, vt quasi non videret, hominem nihilominus cō-
 deret, ei hæc ipsa sacramenta offerret, quæ illi, etiam post hæc
 omnia enarrata, in remediū salutis essent. Nimirum ad eò est
 clemens, vt cum voluerit homines sibi inuicem in die, non so-
 lūm

INFINITA DEI
 AD GNOSCEN-
 DVM CLEMEN-
 TIA, QVA BO-
 NI VTUNTUR,
 MALI ABVTUN-
 TUR.

ſum vſque ſepties, ſed etiam vſque *ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, ſine numero & ſine, ignoſcere, multo id ipſe vellet magis præſtare, vt nos ad *pœnitentiam adducat*. Inter homines nihil eſt difficilius, quàm vel leuem iniuriam lædenti ignoſcere: opus autem hoc Dei eſt, vt grauiffima ignoſcat, & citò & facilè: *Mifereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, qua ſunt. Parcis autem omnibus* (eti- am qui in Inferno citra condignum puniuntur) *Quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas*. Hæc malos faciunt peiores, dum cogitant: Si ita eſt, pergam peccare, quia habemus misericordem Dominum, & ſic in misericordiam offendunt, qui cæci ſunt, & de ſpinis uvas volunt colligere: eos autem, qui norunt æſtimare virtutem, à peccato potenter abducunt dicentes, Indignum eſſe, vt tanta bonitas offendatur, quæ utique amanda eſt, quia amabilis eſt, & non ſine incredibili iniuria læditur. Quare in lachrymas prorumpunt, & pœnitentiam agunt. Multoquæ id magis animat pios. Quisquis enim Petrum peccatorem tam desperatum videt, prò vno Roſario recitato, Mariæ auxilium tam citò, inmodò veniam ab ipſo Chriſto obtinuiffe; cogitat ſe, tot operibus bonis, in Congregatione, vel alibi, oblatis, non ſolum ſpem veniæ, ſed etiam æterna præmia conſecuturum. Quare & opera egregiè ardentèquæ exercet; & ſi in Sodalitate adhuc nulla eſt, cum Petro, propria ſe in aliquam manu inſcribit; æſtimatquæ reuera magni, quod non flocci faciunt niſi desperati.

Math. 18. 22.

Rom. 2. 4.

Sap. 11. 24.

C A P V T VI.

IN IUVENE CHIROGRAPHVM SVVM
A MALO GENIO RECIPIENTE DOCETVR,
NULLVM ESSE TANTVM PECCATOREM, QVEM

IMMENSE DEI POTENTIA NON POSSIT IN GR-
TIAM RECIPERE, SI VELIT AGERE POEN-
TENTIAM.



DAVID rex peccantis pariter, & pœnitentis fuit exemplū,
vt, ob ipſam dignitatis eminentiam, tantò conſpectius
eſſet, quidquid de eo legeretur, tantoquæ libentiùs, qui

K

cum

I.
MISERICOR-
DIAM ET PO-
TENTIAM